

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllii Ciceronis Epistolae

Cicero, Marcus Tullius

Halae Magdebvrgicae, MDCCLVII.

VD18 12794317

Chronologia Sex Historia Svccincta Rervm Gestarvm Et Scriptorvm M. Tvllii
Ciceronis, Composita A Georgio Lv dovico Frobenio.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17061

CHRONOLOGIA

SEV

HISTORIA

SVCCINCTA

RERVM GESTARVM

ET SCRIPTORVM


M. TVLLII CICERONIS,


COMPOSITA

A

GEORGIO LVDOVICO FROBENIO.








A N N I			
period. Jul.	urbis cond.	ætat. Cic.	
4608	647	0	M. Tullius Cicero Arpini natus III. Non. Januar.
4625	664	17	In Juris civilis studio operam dedit Q. Mu- tio Scævolaë J.C.
4626	665	18	Philonem, Philosophum Academicum, qui Mithridate in Græciam eo tempore ex- ercitum mittente, Athenis Romam pro- fugerat, in Philosophia audivit.
4627	666	19	Apollonio Moloni, Rhodio Rhetori, in Ora- toria operam dedit.
4633	672	25	P. Quintium oratione privatim defendit coram M. Tullio & Cn. Dolabella Coss.
4634	673	26	Sex. Roscium Amerinum ad L. Sullam & Q. Pium Coss. publice defendit.

* 5

Sus-

A N N I



period. Jul.	urbis cond.	ætat. Cic.	
4635	674	27	Suscepta peregrinatione Asiatica, Athenis Antiochum Academicum in Philosophia sex menses audivit.
4636	675	28	Asia & Rhodo peragrata Romam rediit, a Molone Rhodio laudatus.
4639	678	31	Prætor Urbis primum. Sex. Peducæi, prætoris Siciliæ, Quæstor.
4645	684	37	Ædilis Curulis, Verrem accusavit. Pro M. Fontejo & pro A. Cæcina dixit.
4648	687	40	Prætor Urbanus iterum, inter octo primus. Orationes pro Lege Manilia, & pro Cluentio habuit.
4650	689	42	Filium Marcum ex Terentia uxore suscepit.
4651	690	43	Consul factus, orationes duodecim Consulares habuit: de Lege Agraria tres contra P. Servilium Rullum; pro C. Rabirio perduellionis reo; pro Murena; quatuor in L. Catilinam, cujus conjurationem in senatum, detexit, fortiterque repressit; & tres alias, quæ perierunt. Et ab hoc tempore, usque ad extremum vitæ, sex & decem libros Epistolarum ad Atticum scripsit.
4652	691	44	Consulatu abiens præter morem publico juramento affirmavit, suâ unius operâ rempublicam & Urbem esse salvam. Frater ejus Q. Tullius prætor Urbanus.
4653	692	45	Asiæ Prætor per triennium.
4655	694	47	Valerium Flaccum oratione defendit.

Clo-


❦

A N N I

period. Jul.	urbis cond.	ætat. Cic.	
4656	695	48	Clodii furoribus cedens in Macedoniam exsul abiit; & maximam rei familiaris jacturam fecit.
4657	696	49	Romam honorifice ab exilio reductus, prid. Non. Septembr. Orationes post reditum in senatu; ad Quirites; pro domo; de Haruspicum responsis habuit.
4658	697	50	Acta Clodiana rescidit. Tulliam filiam Crassipedi desponsavit. Orationem pro P. Sextio habuit, & interrogationem in Vatinium.
4659	698	51	Scriptit libros tres de Oratore; & sex de Republica, qui interierunt. Orationem habuit in Pisonem.
4660	699	52	Cn. Plancium ambitus reum defendit. Scripsit ad Lentulum longam illam Epistolam libri primi Familiarium, itemque illas ad Trebatium. C. Rabirium Postumum defendit.
4661	700	53	Epistolas ad Curionem scripsit.
4662	701	54	Orationem habuit pro T. Annio Milone.
4663	702	55	Ariobarzanem juniorem, regem Cappadociae, restituit. Proconsul in provinciam Ciliciam profectus, Parthos & Arabes ad Amanum montem feliciter devicit, Imperator ab exercitu salutus. Epistolae primae libri XV, & Caelii ad Ciceronem libro VIII, & ad Caelium libro II, & ad Appium Pulchrum libri III, exaratae.
4664	703	56	Tulliam viduam Dolabellae desponsavit.

Pro-

A N N I



period. Jul.	urbis cond.	etat. Cic.	
4665	704	57	Proconsul. Capuam atque oram maritimam Campaniæ obtinuit. Quum Cæsar Hispaniis occupatis Massiliam expugnasset, epistolas lib. VII, VIII, VIII, X, ad Atticum scripsit.
4666	705	58	Dyrrachii fuit, quum prælium Pharsalicum inter Cæsarem & Pompejum committeretur.
4667	706	59	Brundisii Cæsarem victorem ex Ægypto reducem expectavit.
4668	707	60	Ad Cæsarem Orationem habuit pro M. Marcello. Libros reliquos oratorios scripsit: Item illos de Finibus; quæstiones Academicas & Tusculanas; & de natura deorum. Epistolas scripsit ad Torquatum & Cæcinam. Tulliam filiam amisit partu extinctam.
4669	708	61	Orationes pro Q. Ligario, & pro Rege Dejotaro habuit ad Cæsarem, qui sub id tempus anni formam ordinavit.
4670	709	62	(Anno Juliano primo) Post Cæsaris cædem Idib. Martiis factam, libros de divinatione, & de fato scripsit. Athenas ad filium Marcum navigaturus, ventoque adverso in Italiam rejectus, in itinere confecit epistolas ad Atticum libri XVI; itemque Topica ad Trebatium: Romanque reversus tres libros de officiis, quum ante hos librum quoque de senectute ad Atticum scripsisset.
4671	710	63	Philippicas in M. Antonium dixit. Epistolas ad Plancum libri decimi Familiarium,

ANNI.		
period.	urbis	ætat.
Jul.	cond.	Cic.



rium, & ad D. Brutum libri II, & ad Cassium libri XII, misit. Sub finem anni a Cæsare Octavio filio, quem suis ante sententiis ornaverat, proscrip- tus: paullo post Antonii jussu per Popilium in fuga interfectus est [VII Id. Decembris, quum vixisset annos LXIII, menses XI, dies V.]

[Not. Anni ætatis Ciceronis hinc numerati, non intelligendi sunt *currentes*, sed *exacti*: Anni Urbis conditæ vero *Catoniani*.]



HOC

HOC VOLVMINE

CONTINENTVR

M. TVLLII CICERONIS
EPISTOLAE

ad diversos, seu familiares, libris XVI. pag. 1-480.

ad Atticum, libris XVI. pag. 489-946.

ad Q. Fratrem, libris III. pag. 947-1015.

ad Brutum, libro I. pag. 1015-1045.

ad Brutum aliæ, a Germanis repertæ. pag. 1045-1056.

M. TVL-

inimici ipsi illi Q. Scævola fuerint. Tibi tamen sum auctor, ut si quibus rebus possis, eum tibi ordinem aut reconcilies, aut mitiges. Id etsi difficile est, tamen mihi videtur esse prudentiæ tuæ. Vale.

ARGUMENTVM.

10

Inter jocos significat Valerio, se ejus nomine P. Lentulo gratias egisse, eumque, ut domum redeat, hortatur.

M. T. C. S. D. L. VALERIO, IVRISCONSULTO.

CVR enim tibi hoc non gratificer, nescio: præfertim cum his temporibus audacia pro sapientia liceat uti. Lentulo nostro egi per litteras tuo nomine gratias diligenter. Sed tu velim desinas jam nostris litteris uti, & nos aliquando revisas: & ibi malis esse, ubi aliquo numero sis, quam istic, ubi solus sapere videare. Quamquam qui istinc veniunt, partim te superbum esse dicunt, quod nihil respondeas: partim contumeliosum, quod male respondeas. Sed jam cupio tecum coram jocari. Quare fac, ut quam primum venias, neque in Apuliam tuam accedas, ut possumus saluum venisse gaudere. Nam illo si veneris, tamquam Ulysses, cognosces tuorum neminem. Vale.

p. 18.
a.

M. TVLLII CICERONIS
EPISTOLARVM

AD

CVRIONEM ET CETEROS,

LIBER II.

ARGUMENTVM.

1

Accusatus a Curione negligentia litterarum, se excusat, eique quod absens summam laudem consecutus sit, gratulatur, hortaturque, ut, quam concitasset, expectationi sui respondeat, & ipsum, cujus consiliis ad hanc dignitatem pervenerit, jam prope senescentem, amore suo oblectet.

M. T. C.